



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

IN EPI. PAULI AD PHILIP. 29

caelorum, in quibus deus ipse regnat, idcirco & regnū
lucis dicitur. Contrā uero regnum mundi, dicitur re-
gnum tenebrarum, &c. Sic ad Coloss. 3. Si resurrexistis
una cum Christo &c. Et hic ca. sequēti, quae sit caelica
conuersatio, sic dicit.

Quod reliquum est fratres, &c.

Et caelis Christum rediturum, ut liberet nos plene à
corpore mortis huius cōpleta resurrectione, saepe ipse
in Euāgelio testatur. 1. Ioan. 3. Scimus quod cū appa-
ruerit, &c. Et omnis qui, etc. De resurrectione & cor-
pore nostro glorificando legis 1. Cor. 15. Vnde salua-
tor Matth. 13. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno
patris eorum. Et ne quis animalis homo dicat: quomo-
do resurgūt corpora consumpta in terris, aqua, aëre,
igni, deuorata à bestijs? &c. Addit secundum efficaciam,
&c. Non erit impossibile apud deum omne uer-
bum, deus sic uult & potest. Incredulus contrā dispu-
tat, qui autem credit dicit cum Ioan. Scimus quod cum
apparuerit, &c. filij dei erimus. Et cum Paulo Rho-
8. Scimus quod omnis creatura ingemiscens, &c.

CAPVT IIII.

Σύζυγος coniugem significat & comparem. De
uxore ergo Pauli intelligūt, quam germanam
dicit: id est, ueram & synceram, quod Christiana quo-
que sit ut Paulus, & Euangelij promotrix.

d 5

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Quorum nomina sunt in libro uitæ: id est, quos deus cognoscit pro suis, ut diximus Psal. 86. Matth. 5. Gaudete & exultate, &c. Contra de reprobis dicitur, Psalmo 68. Deleantur de libro uiuentium.

Iterum

Dicit, quia hoc ipsum gaudium infirmis conscientijs non satis prædicari potest.

Modestia

Modestia

Est, qua non tuo sensui inniteris, sed accommodas te alijs, quantum cum deo licet in omnibus rebus. Hanc uult Paulus non ut aliquibus, sed ut omnibus exhibeas, etiam inimicis, etiam ijs qui possunt uideri inferiores. Atque hanc modestiam, ut uides, docet per totam ferè epistolam. Hic respondet caro: Si hanc modestiam seruauero, contemnar, ledar, mea mihi auferentur, nemo me uerebitur, &c. Respondet Paulus: Dominus uobis prope est, ipse omnia curabit pro uobis, nihil uos solliciti sitis: sed tantum quæ cupitis petite à deo, & gratias agite de acceptis. O uerbum fidei, quod creditum in omni necessitate & corporis & spiritus, sat esset contra omnem infidelitatis nostræ tentationem.

Pax dei.

Id est, quam deus dat credentibus, ut gaudentes de remisso peccato & donata gratia, mutua se charitate cõplectantur. Hæc exuperat omnem intellectum. Nulla

IN EPI. PAULI AD PHILIP. 30

enim ratione humana comprehendi potest, quæ ratio
solum carni dulcia iudicat esse pacem. Pax autem dei
in tribulationibus etiam exultat, ad Rhom. 5. Sciens
deo placere quicquid fit, & omnia cedere in salutem.
Hæc est pax conscientiæ, quæ, inquit, custodiat uos per
Christum in fide & unanimitate. de qua multum dixi.

Gauisus sum &c.

Hic est locus gratiarum actionis pro accepto munere,
& de elemosyna à Philippensibus. Vbi uide quomodo
sine adulatione multis uerbis spiritualis homo gratias
agit, & quanta doctrina abundet. Primum ostendit ueri
predicatoris esse à suis nihil requirere: deinde audito
rum esse, predicatoris inopiã subleuare. Præterea ne
predicator occasionem præbeat pseudapostolis, oportet
re etiã ab aliquibus abstinere quæ iure ei debentur. Si
cut Paulus abstinuit, ne acciperet aliquid à Thessaloni
censibus & Corinthijs. Item quæ sic dantur, cedere in
comodum illorum qui dant. Itē hæc ipsa data esse hostiã
acceptam deo, ad Heb. 13. Talibus hostijs placatur de
us. Item dantibus reddi à deo abunde secundum euange
lium, & secundum Paulum, 2. ad Corinth. 9. Postremo
(ne hoc negligas) sanctos esse contentos in ijs quæ ha
bent, & sub dei prouidentia gaudere securos, quemad
modum paruulus gaudet sub manu patris, nihil sollicitus
quicquid acciderit. Nã, inquit, ego didici, &c. ad Heb.
13. Sint mores sine auaritia contenti presentibus.